14.

De

TEMPLORVM ANTIQVITATIBVS

edisseret

PRAESIDE

CONRADO SAMVELE SCHVRZFLEISCHIO,

M. VRBANVS GODOFR. SIBERVS

SCANDA MISNICVS,

In Auditorio Maiori,

X. KAL. MAI. cIↄ Iↄc XCVI.


CVM PRIVILEGIO SEREN. EL. SAXON.

Disputatio LIII.

LIPSIAE, Apud NICOLAVM SCIPIONEM.
cIↄ Iↄc XCIIX.



I.



SVa qvaeqve gentes templa, aut pro templis, clivos montium lucosqve habuerunt, ut locus eſſet rei divinae circunſcriptus et proprius, ubi ſtato tempore convenirent homines, remotiqve a ſtrepitu et profanis negotiis, ſacra ſua obirent.

Veteris Latii conſvetudo tenuit, ut qvilibet locus excelſus et patens Templum *diceretur, qvemadmodum exempla docent apud Ennium (cujus verſus, non citato auctore, ſervatus a Varrone eſt, l. VI. de LL.) Lucretium l. V. et Plautum in Milite glorioſo, A. II. ſc. 5. in Rudente A. IV. ſc. 2. Vergilius de ſepulchro extulit, ut putat Servius Aeneid. V. 457. Qvanqvam rectius de ſacello exponitur, cum uſitata vocabuli ſignificatio commode retineri poſſit, et Poetae inſtituto conveniat, ritumqve veterem, ab Ovidio non ignoratum, oſtendat. Taubmannus dubitat, et more ſuo nihil definit, contentus referre diſcrepantes ſententias, qvas dijudicandas aliis relinqvit. Livius * ſingulariter ad roſtra traduxit, haud inſcite qvidem, ſi eorum ſtructura conſideratur, VIII. 14. Idcirco dicturi Qvirites, aſcendebant in roſtra, neqve alia, qvam aſcendendi formula utebantur. Sed uſitatiori ſignificatione templum de* aede *(ſupra, et infra terram) pronunciatur, qvam ideo* excelſam *vocat Ovidius, in Metamorph. ultimo libro. Ante hunc Ennius ſcripſit,* templa alta, *qvae, interprete Varrone, ſub terra erant, et Acheruſia Orci dicebantur. Nominis origo in Latio reqvirenda eſt, et omnino Varroni, ſed alibi inſcrutandis vocabulorum originibus minus felici, aſſentior, qvi a* tuendo *dici affirmat, libro paulo ante commemorato. Templum ergo velut* tuempulum, *ratione originis dicitur: hinc* tempulum *antiqve uſurpatum, at extruſa poſt litera, templi nomen relictum, et Latina civitate donatum, atqve in literas et monumenta relatum eſt, qvanqvam priſcae inſcri-*

* Ante Livium Cicero orat. in Vatinium.

A tempulo eſt *extempulo*, κατὰ συγκοπὴν, extemplo, idem qvod, ilico, ſive ut Varro reddit, continuo. Prius extat apud Plautum Aulular. A. I. ſc. 2. Id qvod metri Plautini ratio reqvirit.

scriptiones adhuc templi *memoriam servant, meamqve adeo sententiam confirmant. Iosephus Scaliger a* τέμενος *deducit, hoc a* τέμνω *oritur, qvod rei qvidem satis convenit, et separatum aliqvid circumscriptumqve notat. Sed primam nominis occasionem causamqve, a Varrone indicatam, et ab* aspectu *sumptam, non aperit, propterea qvod augures designaturi spatium, constituere locum, et circumscribere solebant, lituoqve intra certas regiones finiebant, atqve oculis metiebantur. V. Varro l. c. Catonis Oratio* de Auguribus *amissa est, ubi perpaucae lineae supersunt.* * Adicit, *pro* adiicit, *recte, et antiqva consvetudine positum:* exauctoratas, *pro* exauguratas *irrepsit, qvod ex Festo corrigendum. Apud eundem de Auguribus fragmentum. Servius in Eclogam IX. et Aeneid. l. I. ac l. VI. Livius* exaugurata *(non exauctorata) perinde ac* inaugurata *fana* ** *dixit. I. 55. Qvo argumento firmanda est vetus lectio orat. in Vatinium :* in illo inaugurato templo ac loco. *Amplius hoc verbum* exaugurandi *usurpavit Cato in libro I. Originum: apud Festum. Latino finiendi verbo respondet Graecum* ὁρίζειν, *qvo usus est Herodotus in libro III. qvi Thalia inscribitur, cap. 142.* τέμενος περὶ αὐτὸν βωμὸν ὅρισε. *Valla convertit :* fanum in circuitu designavit. *** *Ergo finitus hic designatusqve templo locus, verbo sermonis Ionici indicatur,* fanumqve *redditur ab Interprete, qvia nondum erat conseptus, et aedificio carebat, si maxime etiam consecratus esset. Graece dicitur* τέμενος, *id est, agri separati (si vim etymi inspicias, scissi, abscissi, secti, resecti) portio, qvae deinde ad sacros usus accommodata, ac Deo divisqve attributa et consecrata est: hoc modo evenit, ut consvetudine loqvendi haec vox generatim templum fanumqve, et delubrum, qvae ceteroqvin differunt, significaret. Appianus* a *qvoqve* τὸ τέμενος, *et* τὸν

νεὼν

* Livius I. 18. cum qvo iungendus Cicero de divinat. I. et II. et de Legibus II.

** Auguratus nomen dignitatis est, apud Livium, non participium. X. 7. Inaugurare verbum ei usitatum, non augurare I. 7. Inaugurato (perinde ac I. 18. augurato) adverbium, ut auspicato I. 36. pro barbaro, inauguraliter. Et hoc qvidem usu loqvendi Liviano. Inauguratum est proprie ritu augurali constitutum, ut templum. Auguratum dicitur, qvum augurium captatum est, nulla templi locive adiectione. Cornelio Frontone potior est Patavini loqventis auctoritas, qvippe Ciceroni propioris, et iuris ritusqve auguralis, ac verborum adeo formularumqve peritioris. *Augurare* apud Ciceronem II. de Legibus, est augurium capere, eoqve capto, divos precari, fertilitatis felicitatisqve impetrandae causa, ut ex Catone patet. Non enim dicit, templa auguranto, sed *vineta virgetaqve, et salutem populi auguranto.* Qvae Fronto Grammaticus non est assecutus, ut augurandi ac inaugurandi discrimen internosceret et explicaret.

*** Proprie, templum circa aram finivit, id est, templo aram circumscripsit.

a Sic Herodotus II. 64. Templum et fanum differunt qvidem, sed usu auctorum saepe commutantur. Sic Aesculapii templum, Valer. Max. et Ovidius, Plautus fanum nominat. Inscite autem, si usum Latinitatis specto, Laur. Valla allatum Herodoti locum convertit, *in Deorum templis atqve in fanis*, qvi convertere debuisset, In delubris Deorum atqve in fanis. Nemo hoc ignorat, nisi emendatae et optimae Latinitatis, speciatim Tullianae et Livianae, ignarus.

νεὼν diſtingvit, et illud conſeptum fuiſſe, non obſcure prodit, qvia, obſidente Carthaginem Scipione, nongenti transfugae eo ſe receperunt, qvemadmodum in libro de bellis Punicis tradit. Et nemo eſt, qvi neſciat, Aeſculapium templi honore cultum, qvo ibant aegroti, aut qvum ire non poterant, aſportabantur, ut vel ex ſolo Ariſtophane ſatis liqvet. Zoſimus etiam hoc ſignificatu ſumpſit, et τῆς γερουσίας τὸ τέμενος dixit, l. V. c. 24. Recte templum *convertit interpres, propterea qvod Senatus Romae in templo Caſtoris, et Bellonae habitus eſt, ſicut ex Tullio et Livio conſtat. Alibi τέμενος denotat locum in Sicilia, qvi et τεμενίτης dicitur, Thucydides l. VI. et ibidem Scholiaſtes.* Ναὸς (*Attice νεὼς Ionice νηὸς*) *de templo et fano effertur, non de ſacello. Nam μικρὸς νεὼς non parvum templum, ſed templi parvam effigiem ſimulacrumqve notat, qvod ante Salmaſium Beza animadvertit, in Actus Apoſtol. XIX. 24. Ovidius* parvum ſacellum *dixit aediculam Iano dedicatam, Faſtor. I. 275. Feſtus ſacellum interpretatur* locum Diis ſacratum ſine tecto. *Aulus Gellius ex Trebatio Iureconſulto docet, ſacellum eſſe* locum parvum Deo ſacratum cum ara. *N. A. lib. VI. cap. 12. Qvod confirmatur ab Ovidio,* aram ſacello coniunctam *memorante, qvanqvam et templa in loco fulgure tacto * extructa excipiuntur, qvae ſuperiore tecti parte patuerunt. Speciatim tecto caruit templum Termini, cui, auctore Servio, ſub dio ſacrificatum eſt, qvorſum ſpectat Ovidius Faſtorum libro II. 672. Qvod Poeta hic templum, Livius fanum nominavit, ſed fana ſacellaqve diſtinxit. I. 55. A fano oritur defanare, qvod eſt augurale et ſacrum, in qvo particula verbum inchoans, non aufert, ſed ponit, ita ut res fani iure conſtituatur. Apud Arnobium, antiqvitatis eccleſiaſticae Varronem lego,* ſpatiola defanata, *qvae expono, parvula templorum ſpatia ab auguribus deſignata, l. IV. adverſus gentes. Sic profanare eſt proprie fano tradere, adeo ut priſtini iuris eſſe deſinat, et fani fiat:* profanatum, qvod in ſacrario pollutum (*polluctum legi debet*) *ut Varro deſcribit l. V. de LL. Verrius de ſignificatione verborum, ex eoqve Feſtus. Hoc polluctum, finito ſacrificii ritu, ** ex carnium reliqviis et extis in ſacra-*

* *Fulguritum Feſtus nominat, in h. v.*

** Apud Herodotum Cleobis et Bito una ſacrificarunt, et epulis in templo apparatis una interfuerunt. I. 31. Ad tale convivium invitavit Evander Aenean. Verg. Aen. VIII. 172. ſeq. Ad huiusmodi epulas Chriſtiani veteres, peracto ſacrificio, ab amicis, ſed in Dei civitatem non aſcriptis, invitati ſunt, qvem morem improbat et averſatur gentium doctor, et Chriſtianos eius rei cauſa convenire vetat, I. Corinth. IIX. 4. 7. ſeq.

sacrario publico, aut fano apparatum et praebitum populo est, cuius moris testimonia passim extant. Pollucere, est comparare dapes ad instituenda Deorum convivia, qvae prisca superstitio confinxit. Huc spectat Cato. in libro de re rust. cap. 132. Plinius H. N. l. XXXII. cap. 2. ubi auctoritate Veterum codicum, et rei subiectae argumento, recte scribitur, pollucerent, *non pollincerent. Eodem modo* polluctura, *cuius meminit Comicus, nihil cum pollinctura, neqve cum funebri epulo commune habet, in Sticho A. V. sc. 4. Huius verbi causa legendus est Festus in v. pollucere. Extremo* delubrum *a deluendo,* perinde ut pollubrum a polluendo ducitur, qvia in fonte, qvi propter templum erat, lavabantur homines et deluebantur, cum exinde aqva efflueret, et labro ad corpus abluendum exciperetur. Id qvod inprimis colligo ex Isidoro, auctoritate veterum subnixo, orig. lib. XV. cap. 4. Cum qvo iungi possunt Asconius Pedianus et Servius, qvi morem hunc priscum indicant, et Cornelium Frontonem inprimis suffragatorem habent. Varro, Macrobius, et Festus ritu hoc praetermisso, longius abeunt, qvum vocabuli originem scrutantur. Nec modo fontes et lacus, sed etiam vivaria piscium, ut Aelianus tradit, iuxta veterum templa fuerunt, histor. animal. l. XII. c. 30. Cicero* templa *atqve* delubra *coniunxit,** et hunc saepe imitatus Arnobius, converso ordine,* delubra et templa, *scripsit, lib. VI. adversus gentes, Livius, cum formulam deditionis Collatinorum perscribit, tum* delubra *nominasse, satis habet, nihil de templis, aut de fanis sacellisqve addit, qvae tamen simul esse dedita, vel argumento dedititii populi, qvi nihil excipere, neqve voluit, neqve potuit, colligamus. lib. I. 38. Sub delubris autem qvin plura Numina intellexerit, haud ambigo, si Servii delubrum explicantis auctoritas valet.*** Qvanqvam Patavino sua fides constat, qvi non solum* delubra, *verum etiam* divina humanaqve omnia *Tarqvinio, populoqve Romano dedita fuisse, scribit.* a *Idem fani templiqve nomina eodem libro permutat, alterumqve exponit per alterum, sic ut aliqvando saltem pro vocabulis, idem significantibus, habere videatur. Cum enim semel et iterum Dianae fanum dixisset, tum in extremo capitis XLV. subiicit, Sabinum* ex templo *(Dianae) ubi sacrificare voluit, religione loci, et auctoritate Antistitis impeditum, descendisse ad Tiberim, et sacrificio abstinuisse manum. Erraret vehementer ac inepti-ret, qvi* extemplo *coniunctim hic legendum putaret. Illud constat,*

σηκὸς

* Qvo originis indicio corrigendi sunt Isidorus et Fronto, apud qvos extat *diluendi* verbum, qvod vitio librariorum obrepsit. V. Vossius Etymol. h. v. Ouzelius ad Minutium Felicem, Guthe-rius, Gyraldus, aliiqve.

** Catilin. IV sed in Catilin. III. scripsit: templis, delubris.

*** Permultum ei tribuit A. Schottus, ex eoqve Griphum Ausonii exponit; recte qvidem, sed rectius in Dionysio Halicarnasseo fontes demonstrasset. observ. l. II. c. 33.

a Similiter atqve l. VII. c. 31.

σηκὸς apud Graecos fana reddi, qvanqvam Pollux autumat, proprie id nominis tribui Heroibus, Poetas tamen qvoqve ad Deos referre. Onomast. lib. I. cap. I. At enimvero Dionysius Halicarnassensis scriptor purus, et acris existimator Graeci sermonis, in oratione prosa, etiam Diis vindicavit. Antiqv. Rom. lib. IV. Ἐν δὲ ἀυτῷ (καλȣμένῳ τῷ Καπιτωλίνῳ τῷ ἱερῷ) τρεῖς ἔνεισι σηκοὶ παράλληλοι. In illo (*templo Capitolii*) tria insunt (*intus tria sunt, Sylburgius*) fana (*alii aedes vertunt*) qvae * aeqvaliter ab se distant. *Nunqvam scriptores Romani uno plum Capitolii templa memorant, sed tria fana consentientes tradunt. Ibidem Dionysius* ἀετὸν καὶ σέγην *coniungit, indicans templorum partem, qva tectum in fastigium exit,* aqvilae *imaginem habuisse. Qvod factum est, ut* ἱερῶν σέγαι *Graece loqventium instituto,* π]ερὰ καὶ ἀετοὶ, *passim dicerentur. Inde recipit interpretationem divinus codex, in qvo legitur,* π]ερύγιον τȣ̃ ἱερȣ̃, *apud Matthaeum, cap. IV. 5. et Lucam, IV. 9. De Grammaticis addo, eos plerunqve vocabula distingvere, qvae idonei scriptores promiscue usurpant. Ex horum numero est Ammonius audacior ceteris, et interdum approbare ausus, qvae alii de* σηκȣ̃ *et* ναȣ̃ *differentia referre potius, qvam asseverare solent.*

* aeqvali intervallo.

II. Qvamvis autem inter gentes ab coetu Dei remotas, primi omnium Aegyptii templa habuerint, aliqvi tamen populi his diu caruerunt, et religionis propterea studio disciplinaqve ceteris nihilo inferiores memorantur. Qvod traditur qvidem de Persis, et de Germanis certo constat, ad qvorum sententiam accesserunt multi doctrina insignes, et sapientia praestantes viri, templaqve aedificari vetuerunt.

De Aegyptiis testem profero patrem historiae Herodotum, apud qvem haec leguntur, in Euterpe II. 4. ** Βωμȣ́ς τε καὶ ἀγάλματα, καὶ νηȣ̀ς θεοῖσι ἀπονεῖμαι σφέας πρώτȣς, *scilicet,* ἔλεγον, *qvod* ἀπὸ κοινȣ̃ *hic repetendum. Magna est Herodoti auctoritas, qvi scriptis mandavit, ac testatus est,* aras, et simulacra, et templa primos constituisse Aegy-

** βωμὸς *et* ἐπιβωμὶς in glossario distingvuntur, ut apud Latinos ara, et altare differunt: illa Diis superis et inferis, hoc tantum superis veterum superstitione consecratum erat. Aliqvando tamen usus utrumqve confundit. Βωμὸς etiam extra prosam Poetarum consvetudine de templo efferri solet.

Aegyptios, *qvod eorum placitis convenienter tradidit, cum monumenta, ut haud obscure indicat, proferre non possit. Facile tamen Aegyptiorum templa vidit, et qvia in Aegypto versatus est, structurae indicio aliqvid colligere potuit, inprimisqve audire gentis sacerdotes, qvorum tamen fides in re domestica non extra suspicionem fuit. Multis post seculis Lucianus, qvem non fugiebat hoc testimonium, retulit magis, qvam confirmavit. In dial. de Syria Dea.* Πρῶτοι μὲν ὦν ἀνθρώπων τῶν ἡμεῖς ἴδμεν, Αἰγύπτιοι λέγονται Θεῶν τε ἐννοίην λαβεῖν, καὶ ἱρὰ εἵσασθαι καὶ τεμένεα. *Perhibentur, inqvit, primi hominum qvos scimus, Aegyptii accepisse (Graecismum imitor) Deorum notitiam, et templa statuisse ac lucos. Plato, qvi in Aegyptum commigravit, et discendi caussa ibi versatus est, fabulosas illorum antiqvitates, etiam qvae ad simulacra pertinent, non reticere voluit, lib. II. de legibus. Clemens Alexandrinus prodidit, antiqvissima gentium templa pro sepulchris fuisse, in protrept. Clementis testimonio usus est Eusebius, in lib. praeparat. Evangel. II. c. 6. Qvam in sententiam scripsit Arnobius, multa, eaqve vetustissima templa,* contegere cineres atqve ossa, et functorum esse corporum sepulturas, *lib. IV. adv. gentes. Id vero maxime in Aegyptiorum templis convenit, qvos ex Regum sepulcris templa fecisse, neminem praeterit, et de Psammeticho confirmat Strabo Geogr. lib. XVII. Nec omittendus est Lactantius, scriptor disertus et pius, lib. II. de origine erroris. Non invideo Aegyptiis, qvod primi templa condiderint, sed miror impudentiam, qvod in templis religionem contempserint, honoremqve Dei contaminarint, apud Herodotum II. 64. Eqvidem Apollonius, Poeta vetus, hoc Deucalioni tribuit, Thessalo illi, et Promethei filio, qvi primus urbes et templa aedificarit.* ὃς πρῶτος ποίησε *pro* (ἐποίησε) πόλεις, καὶ ἐδείματο νηούς. *Argonauticorum lib. III. Verum hoc Deucalionis Thessali institutum, ultra Thessaliam, et Graeciam proferri non debet, propterea qvod in Thessalia regnavit, ibiqve aras et templa dedicavit, ut ex Hellanico liqvet, cujus auctoritate se fulcit Graecus interpres h. l. Non secus, atqve in Latio primus templa extruxit Ianus, ille Ianiculi conditor oppidi, qvod Roma antiqvius celebratur. Hunc adeo in supplicationum divinarum formulis semper praefati sunt, huiusqve ope ad Deos aditum patere crediderunt, de qvo Macrobium legere, operae pretium sit, lib. I. Saturnal. cap. 9. Ante hunc Ovidius Fastor. lib. I. 171. seqv. At hi et alii, post Aegyptios, templa exaedificarunt, et eorum*

exem-

exempla secuti sunt, qvorum in architectando et dimetiendo solertiam, atqve in struendis Nili aggeribus peritiam admirari solebant. De Graecis id non difficile probatu est, qvum Graeci ipsimet non inficiari possint, rationes divinandi in templis, et instituendorum ibi congressuum, ritusqve alios, ab Aegyptiis transiisse ad cives ac populares suos. Herodotus IV. 58. Hebraeorum templa non excipio: qvippe qvae Aegyptiorum templis recentiora sunt, et multo post aedificari coepta a populo, legibus Aegyptii dominatus soluto ac libero, et ex calamitatibus durissimae servitutis, atqve itinerum molestiis refecto, viribusqve deinceps, qvod maxime contigit sub Regibus, confirmato. Id ut fieret, maiorqve operi dignitas et splendor accederet, insigne temporis intervallum interiectum est, qvod subductis rationibus, conficit summam qvadringentorum et octoginta annorum. * *Nec vero statim huius structura templi perfecta est, cum tres certe anni consumpti fuerint in curandis et comportandis rebus, qvarum usus in exaedificatione necessarius erat. Vt nihil dubitem praeferre hoc templum alteri, qvod Zorobabel, splendidum alioqvin, et maiestate loci dignum, sed infra prioris magnificentiam, extruxit.*** *Omnino autem ista opinio falsa, et ex qvorundam animis evellenda est, qvae eo spectat, ut imperitis persvadeatur, occasionem struendi templi a consvetudine gentium, formam rationemqve exaedificandi a templis Aegyptiorum fuisse desumptam. Qvod voluntati Numinis, templa, arasqve et simulacra impiorum hominum, dirui praecipientis, et pietati Salomonis, aedem novo exemplo molientis, directo repugnat. Aegyptii, Deo invisi homines, et Hebraeis exosi pariter, ex Mausolaeis Regum et sepulchris, templa construebant, eaqve omni impietate foedabant, qvorum effingere speciem, et exprimere formam, rationemqve extruendi templi externam, et a peregrina gente petitam consectari, Hebraeis religio fuit. Non spectabat ad gentium instituta Salomon, neqve hac architectandi figura egebat Rex maximus, cum omni recondita sapientia, tum inprimis aedificandi scientia praeditus, eaqve in re, Dei et patris mandato obsecutus, Aegyptiorum, et finitimarum gentium templa, velut impietatis domicilia, odit et execratus est, idqve vocibus et argumentis multo apertissimis ostendit. Qvi dissentiunt, ingenio indulgent, circumspecte, si qvid*

B *eius-*

* Epocha haec non Iosephi, cuius rationes hic variant, sed sacri codicis auctoritate constituenda est, a qvo dissentire, et numeros mutare non licet.

** De Zorobabelis templo legendus Iosephus Antiqv. lib. XV. c. 14. de templo Salomonis l. IIX. c. 4. Illi qvidem (secundo) nec sine causa, praefert novissimum Herodis aedificium, cum ob magnitudinem, tum ob substructionem admirandas. V. et l. VI. c. 6. de bello Iud. Significanter has commemorant Matthaeus XXIV. 1. et Marcus XIII. 1. conf. recentiores Ribera, Villalpandus, Torniellus, Arias Montanus.

*eiusmodi tradunt, legendi, inter qvos Ioannes Spencerus, vir multae doctrinae, est numerandus. Illud etiam paulo ante submonui, qvasdam gentes refugisse ab usu templorum, qvod de Persis comprobavit Herodotus, et consignavit, eos nec statuas nec templa, neqve aras extruere solitos, sed in editissimis montibus sacra facere, et Iovi hostias immolare l. I. 131. Reqviro hic maiorem scriptoris diligentiam, qvi intervalla temporum et Persarum aetates distingvere omnino debuisset. Nam seqviores Persae templa habuerunt, et in templis sacrificarunt, qvod Xenophon ipse de Cyro confirmat, Cyropaed. l. IIX. Huius auctoritate impeditus, non assentior iis, qvi tradunt, primam apud Persas templorum originem Artaxerxi esse vindicandam. Id enim testimonio Xenophontis refellitur, et praeter hoc, causam dissentiendi praebet * Cyri edictum, qvi Hebraeis templi aedificandi potestatem fecit, eoqve certe argumento ab usu et structura templorum haud alienus fuit. Spencerus cursim tractat, lectoremqve ad Hospinianum delegat, qvem non satis limasse hoc antiqvitatis genus, et literaturae minus peritum fuisse, non vulgariter eruditi non ignorant. in dissert. VI. cap. 1. de rat. et orig. templi. De Ioanne Marshamo miror, multa alibi copiose, qvae ad res veterum regnorum pertinent, tradidisse, hic ne summas qvidem attigisse, nisi qvod commemoratione de templo Salomonis instituta subiecit.* Neqve aliter in Aegypto. *Can. Chron. ad seculum XIV. Sed haec non eo scripta sunt, ut aeqvalem sancti huius, et profani Aegyptiorum templi magnitudinem confirmarent. Nam id cum veritate pugnat, ut locus Strabonis Geogr. lib. XVII. cum divinore, qvod in veteris Instrumenti tabulis extat, oraculo collatus, talem fabricae aeqvalitatem non tuetur. * Magna et excellens sapientia Salomonis non Aegyptiorum instituta, ** et aedificandi morem secuta est, sed Dei nutum voluntatemqve pro regula habuit, tantiqve operis artifex, nihil ab ista, foedis cultibus dedita gente, in sanctam, Deoqve dilectam rempublicam ascivit. Templa Serapidis, Osiridis et Isidis, adytaqve Anubis, et Sphinges atqve obelisci, statuaeqve superstitioni dedicatae, variaqve simulacra, et humanae solertiae inventa ad Dei contemptum iniuriamqve pertinebant, ut vel hoc impietatis argumento effingi exprimiqae nollet. In allato Strabonis*

* templum aedificari iussit, sed aedificio templi modum statuit, extinctaqve Cyri propagine, Darius Hystaspis haud secus fieri voluit, mensuramqve magnitudini operis praescripsit, ut qvidem tradit Iosephus Archaeol. l. XV. c. ult. Eleganter τῇ ἀρχιτεκτόνων φρονήσει scripsit τὰ μέτρα δομήσεως ἔδοσαν.

* 1. Reg. VI. 1. seq.

** I. Reg. V. 19. 30. Rex tantis animi dotibus praeditus, ut Aegyptiis qvoqve sapientia praestaret, et Dei ipsiusmet sententia nemo cum eo exaeqvandus inter homines esset. I. Reg. III. 12.

bonis loco σηκὸς apte redditur delubrum, *qvod minus recte mutavit*, fanumqve *substituit Marshamus. In ipso autem hoc antiqvitatis argumento si non semper pro ea copia, qvam haec doctrina postulat, tamen ingenue versatus est Hermannus VVitsius in libro, qvem de Aegyptiacis inscripsit, lib. III. cap. 10. Redeo ad Persas, qvi religionis colendae rationem, sine templis, iniisse memorantur. Qvanqvam enim summa animi industria et pietate sacra procurarunt, tamen aliqvo temporis intervallo,* sine ullis imaginibus ac templis Deos venerati sunt, et sacrificia in aperto celebrarunt. *Qvae Lactantii verba haud dubito qvin spectent ad Persas, de qvibus ante Lactantium Dinon, * pervetustus rerum Persicarum scriptor, et huius auctoritate nixus Clemens, Alexandriae presbyter, ille de orig. erroris lib. II. iste in admonitione ad gentes,* Θύειν ἐν ὑπαίθρῳ ** τούτους (τοὺς Μάγους ὁ Δίνων λέγει, Θεῶν ἀγάλματα μόνα τὸ πῦρ καὶ ὕδωρ νομίζοντας. *Proximus a Clemente Origenes idem hoc tradidit, et posteritati commendavit, lib. I. et VII. contra Celsum. Ex profanis doctrina et fide eximiis post Herodotum scriptores, Diodorus Siculus, lib. VI. et Strabo lib. XV. Diogenes Laertius ex Clitarcho confirmat,* τῶν ξοάνων καταγινώσκειν (τοὺς Μάγους) *simulacra improbare, sive ut in novissima editione redditur*, signa statuasqve repudiare, *sed illud proprium magis planumqve existimari potest. In prooemio p. 5. Verum Strabo † ut secum ipse redigatur in concordiam, ratio conciliandi qvaerenda videtur in diversis temporum intervallis, qvae recte constituenda sunt, ut sacrorum sub dio peractorum ritus apte sibi constet et congruat, atqve ad certum adeo tempus, sub magorum disciplina, durasse intelligatur. Nemo igitur tam audax sit, ut prima templorum in Persia structorum auspicia ab Artaxerxe petenda putet, qvippe qvae Cyrus multo ante cognita habuit, et sacrificii causa intravit, qvod scriptum reliqvit Xenophon, et praeter eum confirmavit* a *Iosephus, Cyrum, ac Darium Hystaspis filium, propensa qvidem in* *B 2* *Iudae-*

* Huius meminit, et plurimum ei credere se fatetur Nepos, in Conone sub finem. Citatur ab Athenaeo, Diogene Laertio, et Clemente Alexandrino, qvi Dinonis [inepte Dionis scribunt] testimonio utuntur, sed eius duntaxat fragmenta qvaedam supersunt.

** Sub dio [non sub divo, ut mendosae Ciceronis editiones habent] sacrificabant, sed ναὸν ὕπαιθρον Persae non habebant. Vnum Romae templum huius structurae est ***Pantheon***, sive ut Spartianus in Adriano scribit, ***Pantheum***, de cuius fabrica legendus est Vitruvius, scitissimus Romanorum architectus.

† Πέρσαι ἀγάλματα καὶ βωμοὺς οὐχ' ἱδρύονται, θύουσι δὲ ἐν ὑψηλῷ τόπῳ. Aras tamen habuisse, et septa qvaedam sacra, sive sacraria, paulo post eodem libro ostendit. Idem ex Pausania conficitur. De Curtio qvippe recentiori nihil addo. Arae ergo hae subdiales, non templis clausae fuerunt. a Singulare testimonium, et cum Aggaei II. 7. conciliandum, nec tam de aeqvalitate splendoris aedificii, qvam de gloria, ex propiore Christi adventu comparanda, intelligendum. Sed unde Iosephus hauserit, non subiungit.

Iudaeos voluntate templi extruendi fecisse copiam, sed ne extra modum opus fieret, cavisse hos Reges, et edixisse. Antiq. XV.14. Illud vero ex disciplina Pythagorae Numa accepisse traditur, qvod nollet in templis reponere simulacra et imagines, ut qvarum forma Deo repugnaret, atqve a templis, et usu publico prohibenda esset, auctore Plutarcho, scriptore gravissimo, in vita Numae, qvod cum propter Livium, tum maxime propter antiqvarios, *simulacra Vrbis inde a Romulo et Numa repetentes, observandum reor. Secundum Pythagoricos, Zeno Citiensis Stoicorum princeps, huius sententiae fuit, atqve a templorum usu abhorruit, nec aedificari passus est, ut honori Numinis consuleret, cuius neqve imago pingi, neqve maiestas templo concludi posset. Laertius in Zenone, Clemens Alexandrinus Stromatum lib. V. Origenes lib. I. contra Celsum, Theodoretus serm. III. de Angelis. Qvare hi arbitrati sunt,* Diis omnia debere esse patentia ac libera, qvorum hic mundus omnis templum sit et domus : *prout de Persarum magis tradit Cicero II. de Leg. De Stoicis idem sentientibus, legendus est Plutarchus, libro, qvi extat de repugnantibus sententiis Stoicorum. Magos insuper ignis perpetui custodes, ab hoc munere appellatos fuisse πυραίθυς, ex Strabonis libro XV. liqvet. Idem πυραιθεῖα vocat, qvae alii πυρεῖα, Agathias οἰκίσκυς ἱερὺς, recte Vulcanius* aediculas sacras *interpretatur. Histor. Iustiniani Imp. lib. II.*

* V. Hesychius et Svidas h. v. τὸ πῦρ τοῖς Πέρσαις τίμιον καὶ ἁγιώτατον, καὶ ἄσβεστον. apud Agathiam: conf. Maximus Tyrus serm. XXXIIX. Apud Strabonem recte legimus πυραιθεῖα, editio Basileensis, qvam vulgus seqvitu, πυραθεῖα, qvemadmodum et πυρέθυς, pro πυραίθυς, scribit. Lexica hic ineptiunt, aut omittunt.

III. Germani veteres, de qvibus separatim dici attinet, ut vocabula pleraqve, sic ritus qvosdam a Persis non abhorrentes tenuerunt, et communi consensu in sacratis nemoribus et lucis sacra procurarunt, religionisqve disciplinam sacerdotibus, ceremoniarum et moris patrii gnaris demandarunt, freqventesqve eo, precaturi Numina sua, convenerunt, et interdum, ubi id casus postularet et necessitas, de summa rerum, et belli negotiis,

is,deliberarunt,neqve id a pietate sua, qvae cum amore et fide in patriam coniungitur, alienum duxerunt: qvin testes rerum suarum Deos invocarunt, ut fortunarent consilia, qvae pro salute publica susciperent, et suam patriaeqve causam adiuvarent. Tum sedes Numinum tutiores erant constitutae in lucis, aditusqve ad illos hosti difficilior, et minor amittendi metus, qvam in urbibus, ubi retineri vinculis et alligari solebant, ne ab hoste evocati excederent, patriamqve desererent, et alio migrarent, sed manentibus iis, staret respublica, eorumqve velut praesidum loci custodumqve auxilio se tueretur. Nam huius instrumentum superstitionis passim in usu fuit, et credulitati pariter ac formidini occasionem praebuit, ut studiose diligenterqve evitarent, qvod in magna fortunae varietate posset accidere, damnumqve afferre.

Tacitus, qvi Germanorum mores probe exploratos habuit, de Germanis commemorat, non apud eos templa, sed lucos Deorum religione consecratos fuisse. Verba scriptoris pervetusti, et fide digni subiiciam, qvi e vicino Belgio, cui regendo erat procurator impositus, Germaniam veterem propius cognovit. Ceterum nec cohibere parietibus Deos (*Cicero* * *de Persarum sacerdotibus dixit simplicius*, parietibus includere Deos) neqve in ullam humani oris speciem assimilare (*latinitate melioris aevi, fingere formam et speciem humani oris, qvae Diis qvadam similitudine tribuatur*) ex magnitudine coelestium arbitrantur (*omnino pulchre, et graviter; minus enim est, ex dignitate, propius, ex maiestate Deorum; qvod aliter dixeris Deorum numine et maiestate dignum rentur*) *in libro de moribus Germanorum cap. IX. Qvod hic de templis, infra de simulacris affirmat, et speciatim tradit de Germanis cis mare Svevicum sitis, qvos docendi causa Cisbalthianos voco, Tacitus* Naharvalos *nominat, M. G. cap. XLIII. Erant hi priscis Saxonibus finitimi, et Svevorum orientalium portio, qvi vicinis usu, commerciisqve noti, et societate superstitionis coniuncti fuerunt. Svevi Semnones (non* Senones, *qvi Galli erant) Albis accolae, ab eoqve flumine ad Svevum fluvium porrecti, nec remoti a nostris finibus, lucos habuerunt,*

* l. II. de Leg. Huc spectat antiqvissimus poeta Aeschylus in Persis v. 811. seq. Qvem in eadem tragoedia τέως-νος αἰθέρος v. 365. dicentem, Ennius, et Lucretius imitari voluerunt.

eosqve magna animi reverentia coluerunt, M. G. C. XXXIX. *Apud Frisios celebris erat* Baduhennae *lucus, non extructum templum. Annal. IV. 37. Non secus de Chaucis, Saxonibusqve vicinis existimandum, qvanqvam procedente tempore, ut in aliis, sic qvoqve in templis struendis Romanos secuti* * *sunt, imo et iam Taciti aetate* templum Tanfanae *extitit apud Marsos, Germaniae populos, Rheno inferiori propinqvos, Annal. I. 51. Vt Romani in templis, sic in lucis Germani de republica deliveraturi convenerunt, qvod consignavit Tacitus, et olim retulit de Svevis Semnonibus, Saxonum Orientalium vicinis. M. G. cap. XXXIX.* Stato tempore in sylvam auguriis patrum, et prisca formidine sacram, omnes eiusdem sangvinis populi legationibus coeunt. *Idem hoc de Batavis, Francorum Teutonum, qvos Procopius descripsit, vicinis, testatur Cornelius, et scribit Civilem, proceribus in* sacro nemore *congregatis, iniurias et damna, Romanorum armis illata exposuisse, hist. IV. 14. Caesar gravis scriptor, et oculatus testis, de Gallis nihilo secius tradit,* in loco *(forsan* lucō *legendum)* consecrato, *ad disceptandas lites convenire, de bello Gall. lib. VI. cap. 13. Erantqve hi luci incaedui, qvia sacri, ubi* conlucare, *id est, ramum excidere,* ** *non licebat, qvod in lucis aliis, sine piaculo fieri potuit, qvia profani dicebantur. Graeci* a *lucos* ἄλση *nominant, eaqve a* ψιλοῖς ἱεροῖς *distingvunt, propter arbores ibi consitas, qvas fulmine ictas, malumqve portendere creditas, Romani* attactas *vocabant. Vetus et sine vitio servata inscriptio hoc probat.* QVOD. AB. ICTV. FVLMINIS. ARBORES. LVCI. SACRI. D.D. ATTACTAE. *b* ARDVERINT. *Nam verbum hoc antiqve usurpatum est pro* ARSERINT, *qvod mutari non debet. An vero ritus evocandi Deos ad maiores nostros superstitioni deditos pervenerit, non qvidem a Tacito proditum est, veri tamen simile est, huius moris indicia non plane ibi nulla fuisse, praesertim apud primores gentis, et Romanae ditionis solo propiores, qvorum multi in Romanorum exercitu militarunt, eorumqve in obsidendis urbibus, et evocandis Numinibus consvetudinem haud ignorare potuerunt.* IV. Qvan-

*Forsan et in lucis consecrandis, in qvibus Romani, priusqvam templa habuerunt, Deos coluerunt, auctore Varrone, ex qvo protulit Augustinus de C. D. IIV. c. 31. De Egeriae luco passim legere licet, et pleni sunt annales. Add. Vergil. Aen. VII 762. 763. Strabo l. V. ubi Casaubonus legit, Ἰτέρνη, a Ios. Scaligero submonitus, a qvibus auctoritate Ovidii dissentio, et lego, Αἰγεíρα. p. 240. ed. Casaub.

** Ciceronis dictio est in epist.

a Poetae etiam templa lucos appellant. Strabo lib. IX. οἱ ποιηταὶ κοσμοῦσιν ἄλση καλοῦντες τὰ ἱερὰ πάντα κἂν ᾖ ψιλά.

b In prosa extra inscriptiones concinnata, TACTAE. Sic Livius XXIX. 20. Qvae Locris in templo Proserpinae tacta, violata, elataqve inde essent. Tacta, ubi ἔλλιπες, de coelo. *Coelitus*, non est optimi aevi, nedum Ciceroniani.

IV. Qvandonam vero Romani primum templa extruxerint, et cuius auſpicio Regis fieri coeperint, exqvirendum eſt, propterea qvod ſcriptores, qvi huius inſtituti originem tradunt, multum diſcrepare animadverto. Nec tamen ita haec res difficultatibus implicata eſt, ut eius expediendae ratio me fugiat, ſi incerta et fabuloſa templorum initia, a certioribus illorum documentis recte, et iuſto temporum ordine, diſtingvam. Igitur ſolenne magis et ſeiunctum a fabulis, qvoad in ultima temporum caligine ſperari poteſt, auſpicium a Romulo, urbis conditore, repeto, ſplendorem vero, et perfectioris ſtructurae gloriam, Tarqvinio Priſco relinqvendam eſſe arbitror, qvi maiori ſumptu atqve elegantia ſtruxit templa et adornavit. Nam ſi ad ultima Iani tempora reſpicio, rudem aedificandi diſciplinam, materiamqve vulgarem, et parvas moles, ex ſtramine, cannis, ceſpite, aut e ligno eductas, nulliſqve ornamentis diſtinctas ultima illa et inculta aetate fuiſſe, non temere affirmo.

De templis a Romulo et Numa exaedificatis non modo eruditae antiqvitatis veſtigia ſed etiam luculenta paſſim teſtimonia inveniuntur. Ianus autem, ut ratione et argumento colligitur, primus fuit templorum in Latio conditor, qvippe qvem in ſupplicationum formulis, et ſacrificiis, Latini Romaniqve veteres ſemper praefati, ab eoqve res ſacras auſpicati ſunt, ut hoc indicio primi templorum effectoris nomen religioſe uſurparent, memoriamqve eius grati animi cauſa in templis et ſacrariis qvotidie renovarent. Qvam ſententiam confirmant priſci ſcriptores, qvorum fragmenta ſuperſunt, Fabius Pictor, Xenon, Varro, ex iisqve Macrobius, et Auguſtinus, iſte lib. I. Saturnal. cap. 9. hic lib. VII. de Civ. Dei cap. 9. Alii tamen Faunum eo honore dignati ſunt, primaqve ab eo ſana et condita, et appellata eſſe contendunt, atqve ut hoc aſſeqvantur, originem vocis afferunt, eaqve ſubnixi putant, templa ideo fana *dici, qvod a* Fauno *nomen ferant, neqve alio, qvam hoc conditore, glorientur. Verum convenientior deducendi ratio ſvadet, ut origo huius nominis a fando potius, qvam a Fauno repetatur. Faunos ipſos hinc ar-*

arcessit Isidorus, qvippe qvi futura significantes vocem mittebant, id est, in lucis (non in templis) fari solebant. Orig. lib. VIII. cap. ult. Tertullianus existimat, templa post Numam fuisse condita, Apologet. cap. XXV. Ego non Afri huius auctoritate, qvae alioqvin apud me valet, sed idoneis temporum argumentis adducor, ut credam, Romae templa ante Numam, atqve adeo ante Hierosolymitani templi I. excidium structa, sed marmoreis nondum columnis subnixa, neqve aureis, argenteisqve imaginibus et ornamentis cumulata fuisse. Tantum abest, ut credam, Romanos occasione excisi Hebraeorum templi, primum ad aedificanda templa excitatos, ut multo magis existimem opus esse testimonio ad confirmandam, qvam adduxi, sententiam, qvippe in auctoritate Veterum, Dionysii inprimis, et Livii, congruentibus temporum rationibus, innixam.

V. At longe alia mens Christianis fuit, qvi templorum splendorem elegantiamqve pro nihilo putarunt, nec modo nullas opes in iis extruendis consumpserunt, sed nomen qvoqve abominati sunt, ut factis ostenderent, nihil apud se valere molis altitudinem et magnificentiam, qvae a vero Dei cultu seiuncta sit, et nullo pietatis, sanctimoniaeqve mentis praesidio nitatur. Aras igitur, et delubra, ac templa, statuas et simulacra, solenni superstitionis ritu dedicata, nec sibi convenire, nec Deo placere, affirmarunt, religionemqve in privatis aedibus, atqve in locis clausis et latebris, iniecto suppliciorum metu, procurarunt, et omisso, qvod fugiebant, templorum nomine, *domos Dei, domosqve orationum, ecclesias, conventicula, basilicas, sacraria*, Graece οἴκους, appellarunt, et pro ara atqve altari, mensa lignea usi sunt, eamqve diminuente loqvendi modo, *altarium* dicere consveverunt. Id vero crimini datum Christianis est, qvod aris, templisqve carerent, et sacra sua tanqvam conspectu indigna occulerent, pollutoqve et pudendo religionis genere, mentes manusqve suas contaminarent. Hinc infensi Christianorum sectae homines, et publici veritatis hostes non temperarunt a calumniis,

is, et pios purosqve ritus inſectati, Chriſtianos lucem fugere, et ſceleris cauſa in tenebris et caligine verſari, rudes ſapientiae, et virtutis expertes, negotiorumqve imperitos, ſed licentiae et laſciviae deditos, impudenter obiectare auſi, ad convitia adiecerunt ſaevitiam, neqve a ſuppliciis ſe continuerunt. Chriſtiani contra in Dei beneficio ſacra ſua numerarunt, et cur templa recuſarent, graves cauſas expoſuerunt, modeſte affirmantes, Deum non habitare in ſimulacris, nec templis includi, neqve caeſis victimis, ſed votis precibusqve placari. Non ergo templis ſe uti, neqve aris egere, nec mactare hoſtias, neqve ſimulacra venerari, qvi ſoli Deo fidem obligaſſent, qvem ſacra procurantes ſolum colerent, praeſcriptamqve ab eo cultus formulam, et conſtitutam rei Chriſtianae diſciplinam ſervarent unice, et ſeqverentur.

Veteres Chriſtiani, non modo ſuperſtitiones, ſed etiam nomen rei, ſuperſtitionibus dicatae, et impietatis ſuſpicionem, perinde ac ipſam impietatem, ſumma cum ſtudioqve vitandam cenſuerunt. Qvo factum eſt, ut verbis minus Latinis exprimerent ſacros conventus, dummodo ſe ab impiis coetibus ſignificanter diſtingverent ac ſepararent. Conventicula *nominarunt Arnobius; Lactantius, et Oroſius* *, *ille lib. IV. adverſus gentes, iſte lib. V. cap. 11. hic ſcriptor diligens et hiſtoricus, ſed ſtylo ad inclinantis aevi conſvetudinem verſo, vocabulo tamen, de qvo nunc agitur, ſatis Latino, et auctoritate Ciceronis confirmato. lib. VII. hiſt. cap. 12. Auguſtino familiare* domus *vocabulum eſt, Graecos opinor, imitato, inter qvos divinus ſcriptor Matthaeus* τὸν οἶκον προσευχῆς ** *extulit, cap. XXI. 13. qvem huius dictionis retinentes ſeqvuntur Marcus XI. 17. Lucas XIX. 46. Hoc modo* domus orationum *ab Auguſtino dicitur, in epiſtola ad Aurelium LXIV. Haud aliter in edictis Imperatorum* οἶκος *nomen legitur, qvod ex Euſebio conſtat. H. E. lib. XII. cap. 17. Ruffinus inter-*

* Oroſii Latinitatem ſeculo, et indoli Hiſpanicae, ut Senecae, Fabio, et aliis, condonamus. Sed qvod Graecos fontes non inſpexerit, merito dolemus.

C *pres*

** Hinc nomen *proſeuchae*, de ſynagoga Hebraeorum, iuxta qvas perinde ac iuxta lucos gentium, fuiſſe hortos, arboribus conſitos, docet vetus Inſcriptio, nec tamen ideo erant tabernae pomariae, ut qvidam putant.

*** Merito notatus ab Hieronymo, qvod referre non est huius loci.

pres *** more suo evagari solitus, orbitamqve egressus, non domum, sed conventiculum exponit, vocabulumqve per se, et usu Latinorum nihil turpe significans, atqve a scriptoribus rei ecclesiasticae receptum, ac tritum usurpat, eaqve ratione excusari potest. Eodem vocabulo usus est A. Marcellinus, scriptor non qvidem elegans, sed reipublicae gnarus et prudens, qvi ritus Christiani conventiculum nominat, idqve in basilica Sicinini (scriptores ecclesiastici basilicam Liberii, Ro. Antistitis nuncupant) fuisse testatur, lib. XXVII. cap.3. Eusebius H.E. lib. II. in principio capitis septimi decimi, nuncupat τὰς ἐκκλησίας, et superiori eiusdem libri capite tertio decimo, τῶν ἐκκλησιῶν τὺς οἴκυς appellat. * Antiqvissimus Latini coetus doctor Tertullianus nomine domus Dei cohonestavit, in libro de idololatria. Idem, opinor, primus Latine dixit ecclesiam, eodem in loco, et alibi. In numero multitudinis Zeno Veronensis pronunciavit conventus ecclesiarum, et vocabulis idem significantibus, interpretatus est, domum Dei, Serm. in Ps. CXXVI. Vbi vitium obrepsit, qvod opportune sustulit in animadversionibus ad Arnobium, castigatae vir eruditionis, Desiderius Heraldus, et recte submonuit, delendam esse vocem templi, qvam eo tempore non probarunt Christiani, nec receperunt. Eodem argumento explicandus, et emendandus est Salviani codex, in qvo vulgo legimus, ecclesias, vel potius templa atqve altaria Dei. lib. III. de gubernatione Dei. Scite castigavit, et apte transposuit vir in doctrina, et iudicio elegans Augustus Buchnerus. Itaqve templa, vel potius ecclesias, servata deinceps serie. In notis ad Plinium lib. X. ep. 97. Sicut paulo post eodem libr. Salvianus scripsit: in templa autem, vel potius in altaria, atqve in sacraria Dei. Tantum pro verbis, in altaria, repono, in ecclesias. Nec tamen propterea inficior, altaria nominasse Salvianum, lib. V. et lib. VII. de gub. Dei. Verum nemo putet, altaris vocem usurpasse, qvam primorum temporum Christiani respuebant, altarium vero ἐνικῶς dici moris erat pro altari, qvod nomen omnino tunc fugiebant. V. pereruditus Rittershusii commentarius, ad Salvianum, ex eoqve H. Oelschlegelius, vir ob diligentiam non spernendus. Amplius basilica, et domus dominica sermone veterum, Hieronymi et Salviani, celebrantur.

* τῆς ἀληθείας οἶκον, idem l. II. cap. 56. de vita Constantini.

VI. Restat

VI. Reſtat, ut ſeculum, qvo templa Chriſtianorum condita fuerint, idonea ratione argumentoqve definiatur. Prima Civitatis Chriſtianae tempora, ut miſera valde et aerumnis plena extiterunt, ſic, prohibente hoſtium ſaevitia, nullam templa aedificandi poteſtatem, neqve opes tanto conatui pares habuerunt. Altero poſt Chriſtum ſeculo reſpiravit paulisper Chriſtiana res, et qvodammodo e ruinis inſtaurata eſt, ſed aliqvanto poſt divinae veritatis cultores ac teſtes, haud in meliore ſtatu, ſub iratis, et infeſtis eorum nomini hoſtibus fuerunt, adeo ut minacibus et acerbis * edictis, irrogatisqve paſſim ſuppliciis, turbati ** ſubinde ac territi, vix reficere ſtatim attritas vires, et colligere animos ad aedificandum poſſent. Tertium, et ab hoc proximum foedavit, ac prope exhauſit crudelitate caedibusqve Deciana vexatio, qva finita, ſpatium Chriſtianis datum eſt, ut ſolatio recreati, melioris fortunae ſubſidio res ſuas conſtituerent, firmioresqve haberent, tunc maxime, qvum auctoritate Conſtantii Chlori *a* ſublevarentur, et auſpicio Conſtantini eius filii, ſedata iam, at non exaturata Diocletiani libidine, proſtratisqve ad pontem Mulvium Maxentii copiis, et Licinio omnibus fortunis everſo, proſpere ſtabilirentur. Qvin vero domos publicas, rebus per intervalla tranqvillis, ſibi comparaverint Chriſtiani et extruxerint, ac intermiſſa, aut temperata interdum acerbitate *b* in aedibus publicis,

C 2 *mo-

* Edicta Imperatorum, Graece διατάγματα βασιλικά, γράμματα βασιλικὰ, et ἐπιϛολαί, apud Euſebium pasſim. Cuius locum, qvi extat H.E. l. IV. c. 16. non recte convertit novus Euſebii interpres H. Valeſius, vir noſtra memoria totius Galliae doctisſimus. Ibi enim τῶν διαταγμάτων notione, edicta praefectorum provinciarum intelliguntur. Gv. Budaeus in expoſitione huius vocis ad iurisprudentiam priſcam et Atticam, non ad Romanam, ut liqvet, animum intendit.

** Locus apud Euſebium l. IIX. c 17. ubi ταραχθέντες, non recte exponit accuratus ceteroqvin et ſolide eruditus interpres H. Valeſius,

a Sub hoc qvies a vexatione nominis Chriſtiani fuit. Vid. Euſebius H. E. l. IIX. c. 13. et de vita Conſtantini l. I. c. 13. ſeqq.

b Documento ſunt Galerius Maximianus, et Iovius Maximinus, qvi reſciſſis, vel mitigatis ſuperioribus edictis, non benignitate qvadam, aut in Chriſtianos amore, ſed rei ad coetus Chriſtiani excidium pertinentis, qvam nullis viribus perficere poterant, deſperatione victi, ad easqve iam anguſtias redacti, ut vim inferre amplius non auderent, nec ſine ſummo dignitatis ſuae periculo poſſent, a propoſito crudelitatis deſtiterunt.

* Aedes publicae Christianorum sec. II. saltem aliqvae videntur extructae. Indicium harum praebet Lampridius in vita Alexandri Severi.

* modicis tamen, et minus exqvisito apparatu exaedificatis, stato tempore sacrorum causa convenerint, non amplius dubitandi locus est, et facile ex ipsorummet hostium testimoniis, qvae apud Origenem et Eusebium integra, atqve inviolata extant, colligitur apte, et confirmatur.

Non eadem templorum, qvae privatarum publicarumve aedium apud Christianos primordia fuere, qvod vel ex Celso apud Origenem, et ex Caecilio apud Minutium Felicem, atqve ex Arnobio Lactantio, Eusebio, et Salviano non obscure patet. Ac primis qvidem rei Christianae temporibus, nullae congruunt nisi privatae aedes, et inde publicae paulatim, sed rarius, et non ubiqve statim, qvippe nondum firmatis rebus, extructae. Tertio seculo post Decii et Valeriani furorem, maiori tranqvillitate et indulgentia stetit piorum coetus, et religionis exercendae facultas, aediumqve publicarum liberior usus fuit. Qvarto demum Constantinus † ὁ τυραννοκτόνος, *summam rerum adeptus orbem Christianorum, pace restituta, basilicis ornavit, templaqve Dei hostibus erepta, et solenniter expiata, superstitione domita passim, aut pulsa, ritu pio, et moribus Christianorum conveniente, dedicavit.*

† Eusebius in orat. de laudibus Constantini. Vbi ἱερὰ καὶ τεμένη καθιερώμενα, templa et delubra (fana ac delubra vertit Valesius) Christiano ritu consecrata describit. Lucos et delubra, in qvibus erant latibula profligatorum, atqve impudicorum hominum, iure evertit. l. III. c. 55. de Vita Constantini. Aliis τὰ τῆς ψευδολογίας τεμένη permisit, ne raperet invitos et cogeret, qvos veritate flecti optaret. lib. II. cap. 56. de vita Const. Singularis opinio de sanctitate loci, ubi erat templum Domini, effecit, ut ne rudera qvidem superioris aedificii relinqverentur. Eod. l c. 27.